



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Princeps.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Sedenim super Anubi Plutarchus longe eruditius rem perscrutatus, remotiora disciplinarum penetralia recludit, ac terminatorem in sphaera circulum per Anubin in fabulis, per Canem inscriptione sacra hieroglyphica significari tradit: quippe qui Nephthyn apud Aegyptios inferius hemisphaerium esse contendit, Isin verò superius: lucidum hoc & diurnum, obscurum illud & nocturnum; utriusque verò participem Anubin, qui & interdiu & noctu visu pariter fruatur. Eandem enim vim apud Aegyptios Anubis habet, quam apud Græcos Hecate, cui supra & inferna dedicarunt. Nam cum triceps effingeretur Hecate, unum omnino caput Caninum, Equinū alterum, humana verò figura tertium adsculptabantur: quod tamen hispida & rusticana facie simulabat, cuius picturæ hieroglyphicive causam in Equo latius enarravimus.



SATURNUS. CAP. XIV.

Sunt qui per Anubin Saturnum interpretentur, quòd omnia ex sese pariat: atque ita sit & Luminis, & tenebrarum particeps: quia materia obscura est, forma verò conspicua. Qui fabulas de iis, quæ rerum inito facta fuerint ab Oromaze, memorant, caelo inquirunt & astris fabricatis custodem eum adhibitum, atque hinc Canis figmentum excogitatum.

PRINCEPS. CAP. XV.

Præter ea quæ jam posita sunt de Cane significata, sacerdotes iudem Aegyptii, si Principem aut Legislatorem significare vellent, Canis hieroglyphicum cum diademate, sive fascia, vel amiculo faciebant, reliqua corporis facie nuda: propterea quòd veluti *levisomna Canum*, ut cum Lucretio jocer, *sido cum pectore corda* in Deorum simulacris diligenter observandis detinentur: sic etiam Princeps, qui jura sit daturus, Regem qui antea cto tempore claruerit, nudum contemplari debet, quidque sibi velit ea fasciola, examinare: id quod omnium maximè Periclem Atheniensem facitare solitum perhibent. Quotiescumque enim is Magistratum aliquem inibat, ipsa honoris delati insignia, & unumquodque gestamen pro concione alloquebatur, quid ea sibi vellent, qualem virum poscerent percontabatur, seque mox ad personam quam induebat, strenue decenterque gerendam adhortabatur, tanta omnium admiratione, ut non immerito eum & tonitrus & fulgura ciere prædicarent, apesque mel in os ejus infantis coniecisse faterentur. Quod vero fascia regium sit insigne, ostendimus commentario de Gestaminibus reliquis. Atqui Ptoemphanes populi ex Africa parte Canis non effigiem, pro Principe coluerunt, sed vivum ipsum pro rege sibi delegere, cujus motum observabant, ac ex eo quid faciundum, ubi standum, quo progrediendum, religiosissima quadam auguratione intelligebant.



Pericles
Magistratum
inibatur
quid facie-
bat.

MILES. CAP. XVI.

Abque fascia verò Canis, copula tamen religatus, non incongruum est sacramento additi militis hieroglyphicum copula scilicet obedientiæ juramentum præ se fert: Canis verò ipse militis officium, quod præcipuū est, intentum esse ducis imperio, sive iter arripiendum, sive pugna in eunda sit, sive ubi receptui cani ceptum ad signa redire: quæ quidem obsequia à Canibus observari quoti-